



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Anno M.D.XLIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Destinatur
in Bauariam*

Inter hæc Bauariæ Dux, Dux Guilielmus studio ardens religionis tuendæ, expertus olim sapientiam, & industriam Claudij Iaii, tres à Pontifice Maximo Theologos, qui in Academia Ingolstadiana docerent, ipsumque nominatim Iaium impetrauit. Ei socios adiunxit Ignatius Alfonsum Salmeronem, atque Canisium. Eo enim tempore, quo societas in maxima paucitate operarum certatim per omnes prouincias accersebatur, atq; propagabatur, haud quaquam magnis viris diutina mora vno, eodemq; loco concedebatur: sed, vt prima posuerant alicubi fundamenta, ad ponenda alibi traducebantur. Ergo Canisius paulò plus anno Messanæ exacto in Bauariam mittendus Romam accitur. Reliquit nobile sui pignus in eo Collegio non solum illustria virtutum exempla toti posteritati imitanda, sed etiam sacra duo crania Virginum, Martyrumque de beatâ Ursulæ comitatu. Ea Colonæ sanctimoniales, quibus ab Capitolio, quod incolunt, Capitolinæ est nomen, ipsi donarant, dum apud eas conciones haberet: inde transmissa Romam B. Ignatius Collegio Mamertino assignauit: quo cuncta Ciuitas magnifico apparatu, celebrique pompa acceptas

1549.

ceptas inuexit. Romam ut venit, solennia quatuor Professorum societatis Vota pridie Natalis Deiparæ septimo die Septembris ex B. Ignatij sententia concepit. Eiusdem mox imperio unà cum Iaiò, ac Salmerone ex itinere suscepit Bononiæ Doctorum insignia die B. Francisco solenni nono seculi eius, & quadagesimo anno.

*Inter Profes-
sos Societatis
adscribitur.
Bononiæ Do-
ctor creatur.*

Inde tres pariter in Germaniam progressi cum peruenissent Dilingam, ab Cardinali Augustano summa caritate excepti, ægrè tenuerunt, ne sibi Canisium auferret ad Collegij præfecturam, quod Dilingæ, nihil dum de tradendo eo Societati cogitans, inchoarat. Magno posthæc honore à Duce ipso Monachij, deinde Ingolstadij ab Episcopo Eistettensi Mauricio, qui Academiæ Cancellarius erat, excipiuntur. Nam ipsemet Episcopus, Doctoresque omnes, atque Magistri ad eos consalutandos honorificè in domicilium processere: habitaque ab eorum vno plena gratulationis oratio est. Cui ex tempore, & eleganter communi sociorum nomine respondit Canisius. Idem continuo, & Salmeron aggressi docere (nam Iaius ad noui anni referuatus initia) Orationum prolusiones habuerunt eiusmodi, ut doctissimi quique

*Ingolstadij
Theologiam
docet.*